



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Vita Anastasii Papae IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1151.

**CONCILIVM FLORIDI
IN GALLIA, OB CAVSAM
diortii inter Ludouicum Francorum regem & Eleo-
noram filiam ducis Aquitaniae, anno MCLI. sub Euge-
nio papa III.**

NOTA.

^a *Concilium.*] De hoc episcoporum Conuentu Sugerius abbas sancti Dionysii, qui interfuit, habet ista: *Interea aliqui venerunt ad regem, de cognatione sua progeniti, qui ortum & deriuationem parentela suae nouerant, & dixerunt (sicut & verum erat) quod inter se & Eleonoram uxorem suam erat consanguinitatis affinitas talis, quod inter eos de iure lex matrimonialis non poterat conuenire; & inde per iuramentum probationem legitimam offerebant. Quibus rex sic respondit: Quod contra Deum & contra legem ecclesiae eam nolebat habere, volens per omnia statuta ecclesiae, & legem matrimonii inuiolabiliter obseruare. Et ut istius rei veritas posset veracius indagari, die Martis ante festum paschatis Floridi in castro Baugenciaci Hugonem archiepiscopum Rothomagensem & quartum Lanfredum Burdigalensem cum pluribus suis coepiscopis & baronibus Franciae fecit solenniter conuenire. Ante quorum praesentiam steterunt illi qui genus inter regem & reginam se probaturos obtulerant, qui etiam eiusdem generis erant parentes & cognati, & per iuramentum suum dixerunt, quod rex & regina se cognatione contingebant, & quod secundum Deum & legem coniugalem debebat inter eos diortium celebrari. Quo sufficienter probato in praesentia praetorum, fuit inter eos per consensum partium matrimonium dissolutum. Haec Sugerius.*

ANNO
CHRISTI
1155.

VITA
ANASTASII PAPÆ IV.

ANASTASIVS IV. ciuis Romanus, ex regione Subur-
ara, filius Benedicti, antea vocatus Conradus, homo
veteranus, & in consuetudine Romanae curiae, teste Frisfin-
genfi libro 2. de vita Friderici, exercitatus, ex abbate sancti
Anastasio Veliternae dioecesis, & cardinale episcopo Sabi-
no, ad supremum ecclesiae gradum euectus est anno Domi-
ni 1153. vii. Idus Iulii, tempore Friderici I. imperatoris.
Continuator Sigeberti. Errat ergo Dodechinus in appendice

Anastasio
Eugenio
furrogatus,
qualis &
quando.

Marianus
Scotus red-
arguitur.

Mariani Scoti, qui Eugenio Hadrianum successisse scribit. Ecclesiæ Lateranensi calicem magni ponderis obtulit: amator & nutritius pauperum, non tantum apud sanctæ Mariæ Rotundæ templum elegantissimas ædes, & magnificentissimum palatium extruxit, verum etiam tempore famis, qua tota fere Europa conflictabatur, egenis etiam extra vrbis Romæ mœnia degentibus victum largissime suppeditauit. Postquam vno anno mensibus quatuor & diebus 24. pontificalia munera sustinisset, obiit Romæ IV. Nonas Decembris, & in Laterano sepultus fuit anno Domini 1154. Eius tempore floruerunt Richardus de sancto Victore, Gratianus decreti compilator, Petrus Lombardus, & Petrus Comestor, duo insignes theologi. Sanctus Bernardus abbas annorum 63. obiit XIII. Kalendas Septembris anno Christi 1153.

Tempus fe-
dis & obi-
tus Anasta-
si.

VITA ET EPISTOLÆ
HADRIANI PAPÆ IV.

Hadrianus
qualis, &
quando pa-
pa electus?

HADRIANVS IV. natione Anglus, Nicolai nomine ante pontificatum appellatus, ecclesiæ cardinalis, Albanensis episcopus, in Noruegiam ab Eugenio missus, postquam fidem Christi ibi propagasset, gentemque barbaram conuertisset, Romam reuersus, ex apostolo Noruegiæ, vir valde benignus (verba sunt codicis Vaticani) mitis ac patiens, in Græca & Latina lingua peritus, sermone facundus, eloquentia politus, in cantu ecclesiastico præcipuus, prædicator egregius, ad irascendum tardus, ad ignoscendum velox, hilaris dator, eleemosynis largus, & in omni morum compositione præclarus, tertio Nonas Decembris anno dominicæ incarnationis MCLIV. tempore Friderici imperatoris I. Anastasio in sede pontificia subrogatus fuit. Huius tempore Arnoldi hæresiarchæ qui, vt supra dixi, Romanorum Arnoldistarum & senatus auctoritate in Vrbe muniabatur, sectarii dominum Gerardum presbyterum cardinalem tituli sanctæ Pudencianæ ad pontificem euntem in via aggressi ad mortem vulnerarunt. Qua de causa ciuitas interdicto subiecta, non prius est absoluta, quam Arnoldum eiusque sectatores mœni-
bus

Ann
CXXIV
114